

tes voluntatem illam in te hominis adfecti ad religionem et militiam nostram, cuius habitu insigniri desideras, quod primum omnium te facere volumus. Mandantes idcirco cuicumque fratrum nostrorum, quem primum ad hoc ipsum tibi præstandum postulaveris, ut sine mora desiderio tuo satisfaciens susceptis abs te de more votis insignia tibi et habitum ordinis nostri iugum Domini suave imponat. Quod cum rite perfeceris nec aliter, prædictorum contemplatione prioratum ipsum Stracconicensem in florenti regno Bohemię per obitum quondam fratris Ioannis de Rosembergh^g sive alio quocunque modo vacantem et iccirco^h ad electionem, donationem et liberam collationem nostram spectantem secundum statuta et consuetudines religionis nostrę auctoritate apostolica corroborantes tibi, vir magnifice, per nos prius, ut fit, electo tamquam idoneo et sufficienti invicem maturo habitoⁱ consilio de nostra omnium certa^j scientia ad annos decem continuos et ultra ad beneplacitum nostrum bene versanti sub nomine Dei ac sancti Ioannis baptiste conferimus et donamus habendum, regendum et possidendum tam in spiritualibus quam in temporalibus, in capite et in membris cum omnibus suis mensalibus, cameris, prædiis, iuribus, emolumentis, oneribus^k, honoribus et iurisdictionibus ad eundem prioratum pertinentibus, ubicunque terrarum sint, cum quibus illum hactenus habuerunt et possederunt, habereve et possidere debuerunt omnes tui prædecessores quondam priores, teque ex hoc ipso eque atque ex eo tempore priorem Bohemię creamus et constituimus tibi vices nostras quoad regimen et liberam administrationem eiusdem prioratus demandantes tam in agendo quam defendendo, in cuius quidem prioratus dispensatione sic te geres, sic eius dignitatis bona administrabis sub pena solita per nos infligi male solventibus, ut integre et fideliter statuto legibus nostris tempore iura communi thesauro nostro debita Venetiis exolvas apud publicum receptorem nostrum, singulis videlicet annis isthic ex toto prioratu pro rata cuiusque commendarii portione ducatos Vngaricos centum ex antiqua conventionem Rhodi quondam facta inter nos et prædecessores^l tuos priores, quam quidem nova obligatione confirmavit idem publicus nuncius frater Nicolaus Hertinick et de rato per te ceterosque fratres habendo in manibus nostris spopondit, te quoque et alios dicti prioratus fratres præter has annuas responsiones ad reliqua omnia sive arreragia obligari volumus, quę arreragia in hunc usque diem summam ex preteritis annis conficiunt mille et ducentorum ducatorum Vngaricorum, in quorum deductionem, donec sit hec tota persoluta summa,

g) Rossembergh 2575
omnium *stellt um* 2575

h) idcirco 2575
k) *fehlt* 2575

i) et deliberato 2575
l) præcessores 2577

j) certa